



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 16. Mirabiles naturæ, aut Dei fontes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

git, audiat, tota maria dulcedinem induisse, ut seruis Dei in potum cederent. *Anachoreta* quidam erat in partibus Iordanis, nomine Theodorus Eunuchus. Hic necessitate quadam compulsus est Constantinopolim pergere, ingressusque est in nauim. Cum verò nauis diutiùs detineretur in pelago, defecit aqua, erantque nautæ, & vectores in magnâ anxietate & desperatione. Surgens autem Anachoreta & expandens in cælum manus suas ad Deum, qui saluat de morte animas nostras, factâ oratione, signauit mare signo crucis, & ait nautis: *Benedictus Dominus, haurite, quantum aquæ opus habetis. Impleueruntque omnia vasa sua de mari aquâ dulci. Et omnes glorificauerunt Deum. Qui* utique reduxit prodigiù Moysis aquis Mara amaritudinem adimentis. Glorificantes autem Deum compellare se meritò potuerunt illis verbis: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: & dicetis in die illa: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinventiones eius.*

§. XVI.

Mirabiles natura, aut Dei fontes.

Quid quòd Deus, ipsius naturæ ingenio, sicut pluit super justos & injustos, ita alicubi pijs pariter ac impijs prodigiosissimos fon-

Moschus
Euiratus
in Prato
Spirit. c.
173.

Exod. 15.
13.

Isa. 12. 3.

Leon. 101
Lefsius
lib. 1. de
Prouer.
Num.
rat. 5.

tes finit pereñare, quibus sitim restinguant?
Quippe *insula cuidam Canarica, quæ FERRI*
dicitur, omni aqua dulci destituta subuenit di-
uina Providentia arboris cuiusdam presidio;
cuius ea natura est, ut assiduè instar fontis, dulci
humore stillet, qui hominibus & pecoribus ad po-
tũ sufficiat. Nimirum omnia vbique subsunt
Deo; si vult, ex ipsis ignibus potest aquam
producere, ex aquis ignes.

Quis querat in arbore nectar?

Psal. 24.
14.
Iudic. 13.
19.

Deut. 32.
13.

Sed Deus ibi potest reperire. Sicut fit, apud
Sinus, vbi ex arborum folijs vina dul-
cissima exprimuntur. Dummodo nos De-
um timeamus, *Non est inopia timentibus e-*
um. Potest è maxilla, immo è dente fontem
prolicere, vnde Samsones bibant ad satie-
tatem; immo & ad voluptatem. Nam &
illa aqua, quæ, ad virgæ ictum, immo nutũ,
de petra, saxoq; durissimo, profiliit, olei, &
mellis dulcedinem præbuit gustantibus. Ita
olim populum suum constituit super excelsam
terram, ut comederet fructus agrorum, ut suge-
ret mel de petra, oleũq; de saxo durissimo.
Nempe, qui in Nuptijs, ex aqua vinum opti-
mum fecit, facere etiam potest, vt ipsa aqua
mellis gustum adipiscatur. Cum filijs Belial,
cum noctes dièsque pergræcantibus Api-
cijs,

eijs, cum fagis & magis nocturnâ vecturâ in cellas alienas, & ad dolia non sua peregrinantibus, etiam vinum Creticum in absynthium vertatur, & sit de vinea Sodomorum, Deut. 32^o vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum, uva fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Amara enim conscientia, etiam ex Massico, aut Maronæo vino absynthiacum producit; vt etiam hîc congruat, quod de graphio Symposius Poëta dicit: Symposi in Enig^{ma} Altera pars reuocat, quidquid pars altera fecit.

CAPVT. X.

Aliunde desertis Dei seruis, etiam delicias apponi.

§. I.

Quæ à Deo sunt, suauiora sunt.

Non Christo tantum, in deserto, Angeli ministrarunt, sed etiam ipse Christus Angelis, hoc est, hominibus in deserto, more Angelorum, uiuentibus. Paut enim quinq; panibus quinq; virorum millia; immò plura postea millia Eremitarum. Neque tamen putandum est, eos, quos etiam miraculosè sustentat diuina prouidentia, aut solo pane hordeaceo, aut sine

ant?
 RRI
 t di-
 dio;
 dulci
 d po-
 sunt
 uam
 apud
 dul-
 De-
 us e-
 rem
 atie-
 a &
 uti,
 &
 Ita
 sam
 fuge-
 Bimo.
 opti-
 aqua
 elial,
 Api-
 eijs,